

DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii vigesimâ-tertiâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXIII.

M. GUIDONE DANIÉ DESPATUREAUX, Doctore Medico, Anatomes & Artis Obstetriciæ Professore, Præside.

Utrum ad tuendam sanitatem, Balnea frigida præstent calidis?

I.



IN mare proximum luxum inutilem, summi materiam mali, mittamus: errorum si benè pœnitet, eradenda cupidinis pravi sunt elementa; & tenera nimis corpora asperioribus formanda studiis *. Quantùm enim ab optimâ Majorum consuetudine circà mores deflceximus, tantùm ab eorumdem corpora curandi ratione nos declinasse, funesto nimis experimento, heu! jamdiù fuit comprobatum. Miraris, candide advena, pompam

* *Horat.*

hujus urbis; ſtupes ad aſpectum ædificiorum quibus ripæ circumdantur, tàmque ſuperbè exultat flumen; plenis è domibus erumpunt foràs divitiæ, dominoſque per plateas ſequuntur; extollis artes, quibus Europæ imperamus: hæc pulchra ſanè: at audias quales ſint, quibus talia creantur. Homunciones infirmi, debiles; umbræ ſæpè tenues & ſimulachra hominum; gens effœta, perdita mollitie atque deliciis; quibus, ex corporis imbecillitate nativâ, omnis vigor animi ſupprimitur. Has ingredere ædes; expaveſcis, tanquam profanus ad ingreſſum Sanctuarii Dei; perge tamen per atria longa, quid vides? Juvenes, exhauſtis viribus, aut ſua, aut patrum delicta miſerè luentes; orbatos patres, morbis, curâ, tædio, aut ægritudine conſumptos; tabidas matres, vigiliis enectas, ſolis & frigoris impatientes; quas, vel minima aëris mutatio, vel motus, aut graviditas lectulo proſtratas affigit. Qualem hos putas parentes prolem educare poſſe? Aut nullam, aut ſuî ſimilem, imbecillem prorsùs & effœtam; quam, plerùmque confectam malis, vix, aut nondum puberem, mors immatura præripit: *Et enim fortes creantur fortibus: nec imbelles progenerant aquilam ferocem columbæ* *. Hæc nobis peperere mala gula, ſomnus, lecti cubiculique calor & non renovatus aër, tandem deſes vita, funeſta quies & diæta calida. Quantò æquiùs agebant Majores noſtri! qui in omnibus ducem naturam, indèque normam vitæ ſimpliciorem ſequebantur: hi enim, neque ſolis ardores, aut hyemis frigora plùs juſto reformidantes, ad omnem aëris temperaturam, cœlique mutationes ſeſe componebant. Campeſtribus auris & aquis fluminum delectabantur, undè durata exercitio corpora, in tantam proceritatem atque robur excreſcebant, * ut nos hodiè, patrum degener & effœta proles, tractantes eorum arma, tantoque impares oneri, armaturam diverſi hominum generis, aut gigantum potiùs eſſe credamus. Diſcamus igitur ab eorum exemplo, diſcamus meliorem vivendi rationem; videamus, ut cætera omittam, nùm aquæ frigidæ uſus, frigidaque Balnea, adeò ab Antiquis celebrata, ut ex conſuetudine adhibebantur, ità etiam ratione firmâ & Medicorum autoritate comprobentur, eaque calidis præſtantiora eſſe demonſtraverimus.

* Horat.

* vid. *Conringium*, de proceritatis & habitûs corpor. Germanic. cauſis.

I I.

AQUA, ex Boerrhaavio, *eſt corpus fluidum, inodorum, pellucidum, excolor; qui in certo frigoris gradu in glaciem duram fragilem atque vitream congelaſcit*, &c.* Tanta eſt fluidi illius copia, ut pars maxima Globi terreſtris aquâ circumcingatur, & venarum in modum, majori vel minori quantitate collecta, terræ ſuperficiem, aut ejus viſcera penetret & excurrat. Maximam continet in ſe quantitatem ignis & aëris: ex igne ſolo fluiditatem accipit; *nam*, ut ait Stahlius, *pro materiali ſuâ conſtitutione potiùs ad denſationem duram penitùs atque firmam habilis eſſe comperitur* *. Aſt non ità ſenſibus patet quid illi conferat aër; nam aëre ſpoliata nullo modo circà proprietates ſuas eſſentiales mutatur. Dùm ſub formâ aggregativâ colligitur, neque elaſtica, neque compreſſibilis eſt, ſed valdè pon-

* *Boerrhaav.* Elem. Chem.

* *Stahl.* Experim. & Obſerv. N°. 300. *Boerrh.* l. c.

derosa; ità ut, quæ purior est, aëre communi 850 circiter vicibus gravior reperiatur; hâcque solâ gravitate agit, vel fluiditatis motu. Quandò verò, ex admoto violenter igneo motu, partes ejus tenuissimæ ità à se se invicem disgregantur, ut ex centro foci propellantur quaquaversùm, tunc durissima corpora ingenti fragore diffringere valet, quantaque sit ejus potentia in ipso hoc expansionis gradu, satis declarant machina Papiniana & alia experimenta quamplurima. Gravitas aquæ in omnem sensum vim suam exerit; ità ut cuncta corpora intra se contenta undequâque comprimat. Glacies jam facta, nullo modo, pro intensiori frigore, ampliùs mutatur aut induratur; calor autem ejus per gradus, à congellatione ad ebullitionem, ascendit; juxtà quam latitudinem, tota in auras, sub vaporum visibilium aut invisibilium formâ continuò evanescit, & in aëre solvitur*. (a) Constat ex Physicis quod, quò densiora sunt corpora, eò majorem reverà caloris gradum, aut frigus, ad tactum saltèm, magis intensum suscipere percipiantur: indè aqua semper aëre ambiente frigidior sentitur; qui sensus frigoris erit in ratione compositâ, tùm majoris fluidi densitatis, tùm ejusdem molecularum agitationis diversæ: hinc corpora solida excalefacta, quando aquâ tinguntur, statim constringuntur, quasi ex horrore subito; partesque illorum exteriores, priùs dilatatæ, majores in contactus ruunt; resilienteque tunc temporis vi elasticâ, omnes, agmine denso, ad centrum undiquè confugiunt. Hisce enim fluiditatis & densitatis aquæ proprietatibus, virtuteque constringendi præcipuè insistendum esse duximus, quòd indè omnem efficaciam effectusque Balneorum frigidorum salutares, ad evidentiam usquè, deducere atque confirmare conabimur.

*Boerrhaave l. c.

I I I.

ITA fabrefactum est corpus humanum, ut sanum diù perstare non possit, absquè mutuâ, non solùm solidorum & fluidorum in se se invicem actione, sed etiam absquè æquali reciprocatione virium cordis pellentium, elasticæque virtutis partium totius corporis repellentium. Durante hoc æquilibrio, cuncta, ex voto naturæ, peraguntur in corpore animali; optimèque succedunt functiones omnes: quo verò imminuto, secùs fit. Tanta est vis cordis, ut plerùmque vim reciprocantem omnium aliarum partium superet, raró verò ab iisdem superetur; nec mirum; cùm sit ipsum potentia ingens in motu perenni semper constituta; dùm è contrà, cæteræ partes ferè quiescant omnes, vel si agant, ut musculi, identidem solum-

(a) Undè certis Athmosphæræ conditionibus in nubes collecta, iterùm in terram depluit, vitam & fœcunditatem omni animantium atque vegetantium generi, cum fratre suo aëre impertitur. Ità enim inter se omnem naturam vegetantem & animatam partiuntur, ut difficile dictu foret, uter ex Jove aut Neptuno fœcundius imperium sibi elegerit: hinc ab antiquissimis temporibus primùm orta in Ægypto, deinde exculta in Græciâ, * ad nostraque tempora adhuc pervagata est hæc opinio, * aquam fuisse primam originem atque generatricem omnium rerum.

* Diog. Laert. in vitâ Thaletis Mil.

* Maillet.

modò moveantur; ac proindè humorum refluxui parùm faveant, aut neque cordi reſiſtant ſatis. Hinc morborum *iliades*, ut ſtaſes humorum, viſcerum obſtructiones, &c. quas recenſere hujuſce non eſt loci. Sed ſummus rerum Conditor potentiam ſemper præſentem, quæ & actioni cordis & humorum rarefactioni indeſinenter obſiſtat, conſtituit; aërem ſcilicet, quo ambiente, gravi, & elaſtico comprimuntur omnia corpora, & in legitimo tono conſervantur. Quò autem magis eſt elaſticus, gravior atque denſior, eò magis contra nititur; indè leviora, agiliora perſentiuntur corpora animalium, tùm, quia inter partes externas & internas perfectius adeſt æquilibrium, cunctaque propiùs ad centrum ſui motûs revocantur; tùm, quia, aucto aëris pondere, minuitur reverà corporis pondus, & magis ambo ad æquiponderationem accedunt. Fracto autem, vel laxato aëris elatere, contrarium fit, ut experientiâ comprobatur. His ità circà actionem aëris & corporis fabricam prælibatis, ea, quæ aqua corpori applicata conferat, faciliùs nunc eruemus.

Calor naturalis aquæ, etiàm in æſtate fervidiſſimâ, nunquàm ad calorem corporis animalis naturalem pertingit; indè, quotiès corpori applicatur, frigidior ſubitò perſentitur aqua, & eò ambiente aëre frigidior, quò & ipſo denſior eſt. Tunc ſquammulæ epidermidis, * priùs fluctuantes, arctiùs cuti applicantur; ſpiracula & meatus omnes criſpantur, atque conſtringuntur; cutis ipſa perhorreſcit; elater vaſorum, priùs effœtus, erigitur; fortiùs reagunt illa in humores ſtagnantes, eos repellunt: ipſa etiàm conſtrictionis horrificæ ſenſatio fibris muſculorum communicatur, irritantur iſtæ atquè ſe contrahunt; ſanguinem contentum minùſque circulantem, ex minoribus in venas majores amandant; ſanguis, ex corporis periphæriâ verſùs partes internas retropulſus, ad cor majori quantitate appellit; undè motus cordis, ex defectu humorum refluentium priùs langueſcens, nunc reviviſcit; magis dilatantur ventriculi, fortiùs contrahuntur; contrahuntur & arteriæ; indè conquaſſatur ſanguis; humores, qui ſemper ex quiete ſeparantur, nunc agitantur magis, teruntur, intimiùs permiſcentur, craſimque naturalem ſuam æquiùs conſequuntur; ſic, aucto motu humorum, fermentatio univerſalis totius maſſæ promovetur; parantur humores diverſi, &, ex ipſo motu, erecto viſcerum tono, ſecretiones, ſeù ſeparationes conſtantiùs perficiuntur. Non hæc commoda corpori præbet ſolo contactu aqua frigida; ſed & ſuâ preſſione etiam operatur. Tanta enim eſt illa preſſio, ut ad altitudinem 32 pedum evecta, totius athmoſphæræ preſſioni æquiparetur. Indè, junctis viribus, vaſorum capillarium reſiſtentiam augent, exhalationem humorum nimiam coercent, fluxilitatem conciliant, ſtaſes reſerant, circulationem promovent, corpus roborant, calorem naturalem, famem, alimentorum concoctionem, agilitatem, flexilitatem atque levitatem corporis & alacritatem animi ſuſcitant, acuunt & augent.

Quis enim, corpore præthereà ſanus, balnea, unquam in flumine adivit, qui non hæc commoda perceperit? Quoties pueri ludentes pilas ex nive conficiunt, experiuntur manus ad torporem uſque frigeſcere;

* Vid. ant. Cocchi, *Diſcorſo soprà l'uſo eſterno appreſſo gli antichi dell' acqua fredda ſul corpo umano*, & J. Philippum Burggravium in annotationibus ad Libr. Singul. Conringii, *de proceritate veterum Germanorum*.

ſed relicto jcco, brevi ipſæ adeò incaleſcunt, ut caloris urentis ſenſus incutiatur animæ. Ingredere viam, flante aquilone, poſteà verò, toto jam præ frigore conſtricto corpore, in locum aliquem vento non obvium, te confer, ſubitò ferè redibit qui perierat calor; gratus & amabilis per membra ſe diffundet, flexilitas, robur eorum rigiditati ſuccedet, ſicut & alacritas torpido mentis mœrori *. Hæc inquam, hæc ſunt bona quæ aër apricus, frigidior aura, vel zephiri in æſtate, atque meliùs, certiùs quoque balnea frigida (pro viribus tamen & ad captum ſingulorum temperanter accommodata) conferunt corpori humano: ſunt & alia frigidæ corpori applicatæ commoda: quodnam Pharmacum potentiùs vires & animos in ſyncope revocat, quàm inſperſio aquæ ſubitanea in vultum? quanta eſt efficacia ad ſedandos plerùmque dolores capitis, aut qui ex ambuſtione acutiſſimus exoritur? Hoc enim in caſu ſæpiùs vidi ſuppurationem præverti poſſe, ipſâ ſolâ partis ambuſtæ diuturnâ immerſione in frigidâ. Hos tamen ſalutares effectus ſolo conſtrictorio contactu atque preſſione ſuâ præbet aqua; nec eſt modus alter, quo hæc talia operari poſſe credamus. Indè meritò adhibetur uſus aquæ tùm internus, tùm externus, quoties agitur de præcavendâ laxitate, aut cujuſcumque partis elatere reſtituendo; ut in habituali coryſâ, anginâ recurrente catharrali; tùm præcipuè in hoc frequentiùs ſequiorem ſexum infeſtante fluore albo, aut in ipſâ etiam viri involuntariâ ſeminis profuſione *. Quod ità dictum volo, ut ſemper habeatur ea cautio circà uſum balnei frigidæ, videlicet, ut ſit corpus ſanum; nam fuge, ſi timeas rupturam vaſorum, & hemorrhagias internas; vel infarctum aut ulcera pulmonum patiaris; atque tandem obſtructione cujuſcumque viſceris confirmatâ labores; ut neque poſt paſtum aut exercitationem violentam frequentetur.

* *Si quis, ait Hippocrates,* lib. de priſcâ medicinâ, *ſanus hyeme corpus frigidâ lotione perfrigeret & vehementer quidem, atq; ſub tectum venerit, magis & ampliùs incaleſcet.*

* Vid. *Celſ.*

I V.

VIDEAMUS an ſimilia afferat ſecum commoda aquæ calidæ uſus. Quamprimùm corpori applicatur, partes omnes externæ ſenſu caloris gratiſſimo recreantur; ſquammulæ epidermidis * laxantur, aquæ fluctuant, oſcula vaſorum hiant, dilatantur; fines arterioſi, ductuſque glandularum maximam liquidi quantitatem evomunt, & eò majorem, quòd, imminutâ reſiſtentiâ in ſuperficie corporis, cordiſque vi ſemper agente, ſanguis & omnes humores amandantur à centro, in peripharriâ accumulantur, rareſiunt, neque, ex defectu elateris, ad cor redeunt: hinc debilitas, & animi defectio, quæ ſæpiſſimè uſum illum comitantur: hanc etiàm debilitatem ſunt experti, qui in flumine, æſtu ſolis plurimùm excalefactâ aquâ, lavantur. Tanta verò eſt humorum per exhalationem deperditio, ut ſella ſtatica eam uncias viginti æquare nos docuerit *. Abſorbentia autem venarum capillarium oſcula, quæ ſimili modo, ad ſuperficiem externam corporis, ambienti fluido viam pandunt, aquam meram, pro humoribus effuſis ſuſcipiunt; adde inſuper, quod & ipſorum abſorbentium vaſorum calidæ uſu

* *Cocchi*, l. c. *Burgrav.* l. c.

* *Cocchi*, l. c.

elatere fracto, minùs hæc munere suo fungantur. Indè debilitas, laxitas, membrorum tremor & impotentia, titubatio, marcor & tandem emaciatio ex usu diuturno conciliatur. Quis tales effectus ab his causis pendere negabit? Hæc enim improbare, quid est aliud quàm ipsimet experientiæ refragari? An igitur ablegandum est omninò ex medicinâ usum thermarum & aquæ calidæ? Nùm talia dicerem, qui sciam balnea calida toties à practicis in curationem plurium morborum adeò feliciter adhiberi? At non hîc de morbis, sed de statu sano agitur. Quin imò balnea calida præ frigidis adire quandòque conferre fateor. Hyeme equidem minùs nocere certum est; præsertim, quandò, diuturno gelu continuoque aquilone constrictis corporibus, sistitur transpiratio, nimiâque desiccatione crispatur cutis, ut sæpè fit in iis, qui subdiò versantur, suisque extrà domos exercentur laboribus. Tunc sanè juvat aquæ calidæ usus, quia, laxando cutem, orificia pandendo, viam priùs præclusam humoribus morâ putrescentibus, plurimo cum corporis levamine, sternit. Hinc mos erat veterum Germanorum, ut ait Tacitus, *calidâ sæpiùs lavari, utpotè quos plurimùm hiems occupat* *. Sed hæc apud Germanos atque Gentes Barbaras, quibus indurata exercitio corpora, fortiori partium elatere atque robore donantur, neque facilè franguntur; sed non idem apud nos, & præsertim in urbe, ubi, non magis mores & animos vitiorum omni genere depravari, quàm & ipsa corpora præ mollitie, luxu, gulæque excessu pravo diffluere heu! nimis certum est.

* *Tacit.* de morib. German.

V.

SIC assertâ omnibus rationum momentis opinione nostrâ, nunc dicam quæ in contrarium afferuntur. Ex ipsomet contactu, & ipsâ pressione frigidæ in corpus, atque horrore & rigore subsequente, fiat necesse est ingens refluxus totius massæ sanguineæ versùs partes interiores, atque præsertim versùs cor; inde congellatio, congestus & accumulatio subitanea in ventriculis cordis & in pulmonibus; hinc aberratio ejusdem liquidi, stasis funesta in pectore, atque sufflaminatio motûs, mors tandem. Talia certè pericula primo intuitu, incauti balnea frigidiora aut diutiùs protracta tentantes, incurrere videntur; sed hæc rarò fieri testatur experientia quotidiana. Equidem Alexandrum magnum in frigidissimis Cydni aquis morti ferè occubuisse, & posteà in eodem flumine simili modo Fredericum I. infeliciter periisse dicunt; sed constat Heroëm utrumque calore exæstuantem, pulvere atque sudore perfusum, longo ac difficili itinere defatigatum, fervidissimo diei tempore in flumen descendisse; ambos igitur vitæ periculum fecisse, quid mirum! dùm è contrà Augustum, tabe laborantem, balneo & diætâ frigidis ab Ant. Musâ sanatum; juvenem verò Marcellum in Baïanarum thermarum aquis miserabiliter interemptum fuisse perhibent *. Omnes insuper, tùm præteritarum ætatum, tùm hodierni temporis nationes, pro simili usu propugnant;

* *Cocchi*, l. c. & *Propert.* lib. 3. Eleg. 16.

Ægyptii, nullo discrimine sexûs habito, in Nilo lavabantur; indè eorum sacratæ Lustrationes adeò celebratæ; quin imò, usum hunc vulgarem in medicinam induxerant; legitur in vitâ Platonis Euripidem Poëtam, in Ægypto gravi morbo decumbentem, balneo in aquâ marinâ à Medicis sanatum fuisse*. Homerus, Poëtæ veteres & Historici, nullum usum balneo aquæ frigidæ frequentiorem fuisse testantur. Apud Macedonas puerperæ etiam lavabantur frigidâ; & Rex Macedoniæ Philippus, Tarentinum Ducem ab exercitu suo removit, quod, ut ait Policenus Autor, homo delicatus & effœminatus aquâ calidâ in balneum uteretur. Sed ut ad nostra tempora deveniamus; nùm Canadenses utriusque sexûs aquam frigidam, glaciem aut nives reformidant? qui pellibus malè tecti, prædam venatu sequentes Lacus atque Flumina nando tranant. Quis ignorat Moscovitas æstuantes & anhelantes, ex sudatoriis suis egredi, & subitò aut in nive volutari, aut mediis in aquis fractâ glacie se immergere? Similiter agunt Livones & qui Finniam incolunt, apud quos juventus ipsa maximam diei partem nuda pedibus, atque corpore, suprà glaciem aut in nivibus ludere gestit *. Adeò apud illas Gentes versa est in consuetudinem hæc vivendi-ratio. Angli ipsi, hiemali tempore, sæpè corpus, caput quotidiè aquâ frigidissimâ impunè lavantur. Hunc morem, summo cum fructu, suscepêre Itali, docente celeb. Ant. *Cocchi*, quem virum hîc sum præcipuè secutus, *G. A. Decoré* Medicus Lugduno-Batavus Dissertationem nuper edidit *de balneorum frigidorum utilitate in Hollandiâ*; balneaque in usum hunc ædificari curavit. Apud Antiquos ipse Hippocrates pluribus in locis usum aquæ frigidæ laudat *; laudat & Cornelius Celsus; commendat Galenus; de illo optimè scripsit Agatinus Medicus sub Trajano *. Frequenter Charmidem Massiliensem Medicum, Romæ adhibuisse, Plinius testatur *. Neque silebo Thesim eximiam, duodecim abhinc annis in hâcce Scholâ propugnatam, à D. *Thurant*, D. M. cujus hæc est conclusio, *ergò æstate, sanitatis tutelâ, balneum in flumine*. Cur cæteros memorem? Agite igitur, viri Parisienses; quid cessatis? ne ampliùs damnoso luxu atque pessimâ consuetudine vos diffluere patiamini, animos martiales geritis, ast desunt vires in corpore debili, quæ non ex cœco impetu vanisque conatibus, sed ex duratione atque laborum longâ patientiâ æstimantur; nec diù stat in armis, qui calere aut algere nescit. Quæ de viris jam dixi, hæc quoquè ad sexum amabilem pertineant, velim. Detestamini vitam desidem; abjicite pulvinaria, lectulos, sedilia longa, hæc molliora nimis; aperite cubicula contracta malè, ingenti luxu & apparatu in perniciem vestram exornata, quæque, tanto labore & impensis circumcludi, & excalefieri curatis, ut indè arceatur omnis aër, tanquàm si hominibus misceri, vel auram cœlestem, vos haurire atque ducere puderet. Abjicite hæc, inquam; & simul aufugiet pessima malorum cohors, quæ tanquàm pestis in vos irruit; nec patiemini ampliùs hos tam diros capitis dolores, scorbuticam labem, tabes longas, pectoris angustias, histericam passionem, convulsiones, &c. ac imprimis hunc teterrimum, fastidiosumque fluxum, quo pars vestrûm plurima turpiter

* Diogen. Laert.

* *Vid.* les Relations des voyages d'*Olearius* & de *Jean Struys* en Moscovie.

* Vid. passim, & præcipuè Aphor. 25 Sect. V.

* Extat adhuc eximium fragmentum ab *Oribasio* conservatum. Vid. *Cocchi*.

* *Vid.* Essai Histor. sur la Médecine en France.

defœdatur. Revocate mores Patrum antiquos; jam tutiùs vitæ assuescite duriori, nec aërem apricum ducere, incedere pedibus, equo conscendere, agere, defatigari atque tandem frigidâ lavari reformidate. Sic prælibatâ melioris sanitatis spe, brevì in conclusionem hanc mecum devenietis.

Ergò ad tuendam sanitatem, Balnea frigida præstant calidis.

Proponebat Parisiis JOANNES D'ARCET, Severopolitanus-Adurensis; in Universitate Burdigalensi Doctor Medicus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Thes. Aut. A. R. S. H. 1763.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1763.